

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Christophori Cellarii Compendium Antiquitatum
Romanorum**

Cellarius, Christoph

Halae Magdeburgicae, 1774

VD18 10161015

Sect. II. De Magistratibus Novis Sub Caesaribus.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17085

Sect. I. de magistratibus antiquis. 217

gistro equitum. Præterea etiam dictatores nonnunquam creati sunt ob alias causas, quam bellorum pericula; ut dissensiones, quæ in magnum malum poterant erumpere, dirimerent, vel aliud salutare populo deciderent. Sic dictator creatus legitur comitorum causa apud LIVIUM *lib. VIII. cap. 23.* Item clavi figendi gratia, atque ad sedandam pestilentiam; vid. LIVIUM *lib. VII. cap. 3.* Etiam in aliis periculis, ut secessiones plebis erant, clauum ab dictatore fixum fuisse, proditum est, vid. LIVIUM *lib. VIII. cap. 18.* etiam feriarum constituendarum causa, ut est apud LIVIUM *lib. VII. cap. 28.*

§. IV.

In municipiis etiam nonnullis summus magistratus *dictator* dicebatur, qualis Lanuuii erat Titus Annius Milo; de qua re CICERO *orat. pro Milone cap. X.* Ita solenne Miloni erat Lanuuium ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuuii Milo: adde notas nostras.

SECT. II.

DE MAGISTRATIBVS NOVIS SVB CÆSARIBVS.

CAP. I.

DE NOVIS MAGISTRATIBVS GENERATIM.

MVTATA republica per cæsares, de quibus SVETONIUS *vit. Augusti cap. XXXVII:* quo plures partem administrandæ reipublicæ caperent, nova officia excogitavit: curam operum publicorum,

viarum, aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo diuidendi, praefecturam urbis, triumuiratum legendi senatus, & alterum recognoscendi turmas equitum. Nec tamen SVETONIVS omnes enarravit, quia *praefecturam praetorii, praefecturas classium, Misenaë & Rauennatis, ac praefecturam aerarii militaris omisit.*

CAP. II.

DE PRÆFECTO PRÆTORIO.

§. I.

PRAEFECTVS praetorio praetorianos milites, qui corpori tuendo caesaris Romae excubabant magno numero, regebat, & curam simul supremam gerebat captiuorum, qui per milites custodiebantur. f) Mæcenatis consilio hæc praefectura constituta fuit tuendo principi, vt apud DIONEM est *lib. LII.*

§. II.

Initio duo constituti sunt praefecti, pari potestate, qui alternis vicibus officium suum facerent. Duo autem erant, vt, si vnus principi infidus foret, se is altero tueri posset. Hinc est, quod praefecto praetorii gladius datus a principe, quo is defenderet principem; aut, si is malus foret, obtruncaret. Traianus apud PLINIVM *panegy. cap. LXVII.* etiam praefecti manum armauit, &

XI-

f) Intelligenda hæc sunt de iis, quos caesares in custodiam dabant. Præfuisse enim illos captiuis, non solum ex TACITO *lib. VI. anal. cap. 23. §. 4.* PLINIO *lib. X. epist. 65. §. 2.* & imprimis IOSEPHO *lib. XVIII. ant. iudaic. cap. 8.* sed etiam ex Paulli exemplo *Act. XXVIII, 16.* liquet.

XIPHILINVS in hoc principe dixisse ait, principem, quum præfectum constitueret, gladio porrecto: hoc pro me utaris, si bene imperaueo; sin secus, contra me. Præerat etiam satellitio, seu corporis custodibus, g) & initio potentia eorum modica erat & militaris tantum, non ultra prætoriana castra se extendens, in quo munere etiam erat cura victorum & captiuorum, vti ex *Actis Apost. cap. ult. v. 16.* apparet, & *PLINIO lib. X. epist. 65.*

§. III.

Numerus, vt dictum, ab Augusto institutus binarius: aliquando vnus tantum fuit: sub quibusdam principibus tres. Constantinus fecit quatuor, & secundum illas quatuor præfecturas imperium Romanum distribuit, de quare *ZOSIMVS lib. II. cap. 32. 33.*

§. IV.

Potestas initio non maxima erat, postea in tantum excreuit, vt secunda esset a principatu, vt *ZOSIMVS* ibidem loquitur. h) De præfectis prætorio

g) Imperatores semper comites habebant præfectos istos. Quum enim plerique post Augustum cæsares tyranni essent, securitas eorum vnice in militum prætorianorum fide, apud quos præfecti plurimum valebant, erat posita. Vnde factum est, vt præfecti hi semper cum prætoriis cohortibus imperatori adessent eumque tuerentur.

h) Habuerunt potestatem promulgandi edicta: præsidibus prouinciarum, quibus præfecti erant, imperandi: iussu principis tributa cogendi, & vectigalia, portoria ac reliquas res magni momenti administrandi; quemadmodum ex *leg. 2. 3. seq. cod. de offic. præf. prætor. orient. & Illyr.* patet: adde *IAC. PERIZONIVM diff. I. de prætor. §. 37. diff. II. §. 43. IAC. GVTHERIVM*

RIVM

torio vide EUTROPIUM *lib. VII. cap. 15. lib. VIII. cap. 1. lib. IX. cap. 14.*

CAP. III.

DE PRÆFECTO VRBI.

§. I.

VETVS nomen, sed sub quo Augustus nouum magistratum eumque amplissimum induxit. Nam sub regibus etiam, quando hi aberant belli caussa, & in libera republica feriarum Latinarum tempore, quo omnes magistratus in monte Albano sacra faciebant, vices ordinarii magistratus præfectus vrbs gerebat. Augustus autem summum magistratum constituit, cuius munia satis ampla in *lib. I. digest. tit. 12.* describuntur. i)

§. II.

RIVM *de offic. dom. Aug. lib. II. cap. 1. seq.* IUL. CÆSAR. BULENGERVM *de imper. Rom. lib. III. cap. 2.* ISAAC. CASAVBONVM & LÆVIN. TORRENTIVM *not. ad SVETONIVM p. 185. 618. & 700. ed. GRÆVII: IO. HEINR. BOECLERVM not. ad Herodian. lib. I. cap. IX. p. 374. & RITTERVM dissert. de præfectura prætorii.*

- i) Ad munus præfecti vrbi pertinebat, vt ius diceret, præsertim inter dominos, seruos, libertos & patronos: vt de criminibus tutorum ac curatorum cognosceret: fraudibus nummulariorum obuiam iret: carnis curam gereret ac quietem in populo stabilem redderet: vide GVIDON. PANCIROLLVM *notit. dignit. imperii occident. cap. III.* FRANC. HOTTOMANNVM *de magistrat. Rom. lib. I. tom. 2. thes. ant. Rom. GRÆVII p. 1872.* IOH. GEORG. GRÆVIVM *not. ad Suetonium p. 185. & FELICEM CONTELORIVM libr. de præfecto vrbs, qui seriem præfectorum vrbs vsque ad ann. MDCXXX. exhibet. Non solum separatim hic liber*

§. II.

Differentiam præfecti vrbi priscis temporibus & sub cæsaribus explanat TACITVS *lib. VI. cap. II.* Tantus scilicet erat præfectus vrbi, & sub primis cæsaribus maior præfecto prætorio, vt ex illo etiam imperator factus fuerit, quod EVTROPIVS exemplo Pertinacis probat *lib. VIII. cap. 8.*

CAP. IV.

DE PRÆFECTVRA ÆRARII
MILITARIS.

§. I.

HÆC etiam Augusto auctori tribuitur a DIONE *lib. LV.* & SVETONIO *vit. Aug. cap. XLIX.* ut perpetuo ac sine difficultate sumtus ad tuendos milites prosequendosque suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus nouis instituit. k)

§. II.

Noua hæc vectigalia erant *centesima rerum venalium*, vt ex TACITO *lib. I. annal. cap. 78.* adparet; item: *vicesima ex hereditatibus non propinquorum.* PLINIVS *lib. VII. ep. 14.* huius vectigalis mentionem fecit, quum dixit, *a publicanis partem vicesimam emisse Corelliam.* Nam publicani in prouinciis exigebant.

§. III.

liber Romæ MDCXXXI. prodiit; sed etiam *tom. I. thes. ant. Rom. Sallengriani* iterum typis descriptus est. k) Fiebat hoc anno vrbs conditæ DCCLVIII. M. Aemilio & L. Arantio consulibus, vt STEPH. VINAND. FIGHIUS *annal. p. 153.* docet.

§. III.

Postea *procuratores vicesimarum* 1) constitui sunt, etiam *promagistri*, vt notis nostris ad PLINIUM *indicato loco* demonstratum fuit. Alia forsan etiam noua vectigalia; sed eiusdem leuitatis, adiecit Augustum, non dubium est.

CAP. V.

DE PRÆFECTO ÆRARIO.

§. I.

COMMUNE ærarium, m) distinctum a militari, etiam mutationem sensit sub cæsaribus.

Quod

1) Eorum sæpe in inscriptionibus fit mentio, vt patet ex GRUTERO *inscript. p. CCCLXXXIX. num. 7. p. CCCCXL. num. 1. p. CCCCXXXVII. num. 7. cui GVID. PANCIROLLVS not. dignit. imper. orient. cap. LXXV. adiungendus est.*

m) Ærarium locus publicus in æde Saturni fuit, in quem veteres Romani æs publicum, anteaquam aurum atque argentum signatum introductum fuit, deferre solebant. Seruabantur ibi omnia promulgata, elephantini aliique libri publicarum rationum, signa militaria, leges in æs incisæ, senatus consulta, ac pecuniarum summæ, quas respublica acceperat. Semper opibus immensis ærarium hoc repletum fuit, & raro tempus extitit, quo respublica pecuniæ inopia laborauit, præsertim, quoniam semper aderant, qui ei omni modo succurrerent. Nonnunquam tamen & rempublicam opibus destitutam fuisse, patet ex iis, quæ ISAAC. CASAVBONVS *not. ad Theophrast. p. 335. tradit. Sequenti tempore ærario huic nouum additum, & ærarium sanctius* adpellatum fuit, quum vetustum non amplius opes & tabulas publicas capere posset. In eo potissimum

imum

Quod enim antea a quæstoribus administrabatur, Nero transtulit ad præfectos ærarii. GELLIVS lib. XIII. cap. 24 : *cura ærarii a quæstoribus ad præfectos ærarii translata est.* Sub Nerone id contigisse, ex TACITO non obscurum est.

§. II.

Dicebantur hi *præfecti ærario Saturni*, quia in Saturni templo adseruatio facta, PLINIUS lib. V. cap.

num aurum vicesimarum, quod ad vltimos reipublicæ calius seruari solebat, ponebatur. In prouinciis itidem æraria minora extitisse, docet lapis apud IAN. GRVTERVM p. XLII. num. 12. In administratione ærarii curam gesserunt consules, a quibus quæstores prouinciam hanc acceperunt, hocque vsque ad annum DCCIX. durauit, quo quum absente Iulio Cæsare nulli crearentur quæstores, munus hoc ad ædiles per septem & decem fere annos translatum fuit. Augustus postea prætoribus; Claudius vero quæstoribus, & post hunc Nero viris, prætura perfunctis, hoc negotium commisit. Vespasiani tempore prætores ærario præerant; Domitiani vero & Traiani ætate quæstorum nomen penitus abrogabatur, & ii, quorum fidei ærarium traditum erat, *præfecti ærario* adpellabantur: conf. HENR. DODWELLVM prælect. Cambden. p. 457. 709. seq. De pecunia, quam respublica ex proscriptionibus accepit, interpretes Suetonii p. 466. edit. Græuii & de illis opibus, quæ ope euocationis ab ærario collectæ sunt, ANSALDVS de euocat. deor. cap. V. exponunt. De redditibus, ærario, fisco & vectigalibus populi Romani edisserunt: ONVPHR. PANVINIVS in imper. Rom. cap. XXII. tom. I. thes. ant. Rom. GRÆVII p. 441. IVL. CÆS. BULENGERVS de tributis & vectigal. pop. Rom. CHRIST. FRID. FRANCKENSTEINIVS obseruat. de ærario, quæ in Græuiano Syntagm. variar. dissert. p. 632. extant: PETR. BURMANNVS de vectigal. pop. Rom. aliique.

ep. 15. de Cornuto Tertullo : *mihī collega in præfectura ærarii fuit*, & lib. X. ep. 20. ad Traianum *me indulgentia vestra promouit ad præfecturam ærarii Saturni*, & panegy. cap. XCI. vocat officium laboriosissimum, de cuius molestia conquestus fuerat lib. I. ep. 10. §. 9.

CAP. VI.

DE DIFFERENTIA ÆRARIII
ET FISCO.

§. I.

IN libera republica vnum erat ærarium totius rei publicæ. Sub cæsaribus, quum mutata esset forma, nouo ærario opus erat, vnde sumtus ad principis formandam dignitatem necessarii depromerentur. Hoc vero non ærarium, sed discriminis causa *fiscum* adpellabant, vt ærarium esset populi, *fiscus* principis: vnde *confiscare*, *in fiscum redigere* postmodum dicebatur, vt exempla sunt apud SVETONIVM vit. Caligul. cap. XLI. & FLO- RVM lib. III. cap. 9.

§. II.

Diferimen autem inter ærarium & fiscum, quorum illud populi, hic principis erat, clarissime probatur ex PLINIO panegy. cap. XXXVI; *non eadem*, inquit, *seueritate fiscum, qua ærarium, cohibes: imo tanto maiore, quanto plus tibi licere de tuo quam de publico credis.*

§. III.

TACITVS quoque lib. VI. cap. 2. id aperte docet; *bona*, inquit, *Seiani ablata ærario, vt in fiscum*

*cogrentur : adde annal. lib. II. cap. 47. & PLINI-
VM paneg. cap. XLII.*

C A P. VII.

DE CVRATORIBVS VIARVM.

AVGVSTI cæsaris & hoc institutum fuit, n) vt supra ex SVETONIO ostendimus, vt viæ Æmiliæ apud PLINIUM *lib. V. ep. 15.* sub init. *Nuntiatum mihi est, Cornutum Tertullum accepisse Æmiliæ viæ curam.* Sic & Flaminia & aliarum viarum curatores sæpe memorantur in *inscriptionibus.* Eorum hoc munus erat, vt viæ, lapidibus stratae, per Italiam conseruarentur.

C A P. VIII.

DE CVRATORE ALVEI TIBERINI.

CVRATOR alvei Tiberini o) itidem ab Augusto institutus fuit, vt ripæ semper munitæ essent; nec

n) Antea enim ædilibus viarum publicarum cura credita & commissa fuit; postquam vero ob alia negotia muneri suo, vt eos decebat, satisfacere haud potuerunt, ex senatus consulto *quatuorviri viarum reparandarum* creati sunt, &, quoniam & hi ob viarum tam amplitudinem, quam multitudinem, prouinciam demandatam rite administrare non poterant, sæpe singulares certis viis reparandis constituti sunt curatores, idque iam ante Augustum, qui demum, vt SVETONIUS *eius vit. cap. XXXVII.* testatur, magistratum hunc ordinarium fecit: conf. GVID. PANCIROLLVM *de magistr. municip. cap. XIX.* & NIC. BERGIERVM *de viis militar. lib. I. sect. 5. §. 4.*

o) *Curatores alvei & riparum Tiberis, qui non solum Cellar. Antiquit. P flu-*

nec fluuius vel urbem, vel agros & campos, exundationibus, quod sæpe acciderat, vastaret. Inscriptiones, quæ PLINII *epistolis* præfiguntur, testantur hodieque, Plinium iuniorem alvei Tiberini & riparum curatorem fuisse.

CAP. IX.

DE LEGATO CONSULARI, SIVE
PRINCIPIS.

§. I.

SUB libera republica in prouincias mittebantur proconsules aut prætores; p) id sub cæsari-

bus

fluuium coercere, eumque purum seruare, sed etiam terminos statuere debebant, quousque habitare in ripa & ædificia ponere liceret, ab Augusto quidem instituti leguntur; nihilominus iam ante eum ipsum munus existisse, docet inscriptio apud GEORG. FABRICIUM *descript. urb. Rom. cap. XVII. p. 193.* quæ ex senatus consulto terminos positos esse confirmat. Satis æstimatum hoc munus fuisse, ex aliis honorificis officiis, quibus hi curatores præfecti erant, patet; qua de re *GRVTERRVM inscript. p. CCCLXXXI. num. 2. & 3. p. CCCXXXI. num. 4. p. CCCCLIV. num. 3. & 5. p. CCCXLIII. num. 1. p. CCCCVIII. num. 5. p. MXXVIII. num. 5. consulas.*

p) Duo magistratus sub libera republica in prouincias mitti solebant, prætores videlicet, ac quæstores; quoniam vero illorum loco nonnunquam consules ob imminetia bella mittebantur, factum est, vt aliæ prouinciæ *consulares*, aliæ *prætoricæ* dicerentur. Quando imperium ultra definitum tempus ipsis prorogabatur, illi, consules videlicet, *proconsules*; hi vero, scilicet prætores, *proprætores* solebant adpellari: vide LIVIUM *lib.*

VIII

Sect. II. de magistrat. nouis sub cæsar. 227

bus pro mutatione prouinciarum etiam est mutatum. Augustus enim, vt apud STRABONEM est *lib. XVII. in fin.* diuisit prouincias ita, vt pacatas populo relinqueret, præsiidiis armatas vero sibi re-

P 2

fer

VIII. cap. 22. & 26. lib. XXIX. cap. 13. lib. XLV. cap. 17. His magistratibus prouincialibus imperium populus dabat; prouincias vero ipsas senatus ita decernebat, vt in tumultuarias consules, in pacificas vero prætores mitterentur. Senatus porro ituris in prouinciam mandata dabat, quantam pecuniam & quantum exercitum sint habituri, & quæ huius-generis reliquæ erant. Sub imperatoribus postea prouinciarum, vt totius reipublicæ, facies immutata est. Diuisit enim Augustus cum senatu prouincias, & quos senatus in eas mittebat, ii *proconsules*; quos vero Augustus, ii *præfides*, *legati cæsarum*, *præfecti augustales* cet. nominabantur. Cæsaris præfides non solum iurisdictionem, sed etiam imperium militare habebant; hoc vero Augustus senatus proconsulibus ademit, nisi ex necessitate nonnunquam fieret, vt legionibus præficerentur. In prouinciis eodem modo ac Romæ ius dicebatur. Iis enim, qui tam sub libera republica, quam sub imperatoribus istas gubernabant, omnis in vniuersum prouinciæ administratio credita fuit, ita vt non solum quæstiones de criminibus instituere, sed etiam gladii iure uti potuerint. In comitatu præsidum præter centuriones, præfectos, decuriones, scribas, accensos, præcones, lictores, tabellarios, æuspices, cubicularios, medicos cet. legati quoque & tribuni militum fuerunt: illi, vt præsidum in omni prouinciali ac bellico negotio adiutores essent; hi vero, vt legionibus præficerentur, ac vrbes, in quas a præsidibus mittebantur, non solum tuerentur, sed etiam nonnunquam eorum vices gererent: seditio-nes supprimerent: causas, vt ex *Act. XXIII, 23.* patet, cognoscerent: iisque cognitis, ad præsidem omnia per litteras deferrent, qui tum sententiam dicebat, id quod per se tribuni facere haud potuerunt.

feruaret. Illæ dicebantur *prouinciæ populi*; hæ *prouinciæ cesaris*, siue principis. In *prouinciis populi* nihil fuit mutatum circa gubernatores: omnino autem in *prouinciis cesaris*. Nam, qui his præerant, neque *proconsules*, neque *prætores* dicebantur; sed *legati cesaris*, siue *legati consulares*, quibus & *ciuilis administratio prouinciæ* & *imperium in exercitum eiusdem prouinciæ commendata* erant.

§. II.

Ab his distinguendi sunt *legati legionis*, siue *prætorii*, qui etiam in libera republica fuerant, unicuique præfidi, qui missus cum imperio fuerat, regendi exercitus causa, additi; aut quacumque in re opus erat, ubi præses ipse non poterat adesse. SVETONIUS *vit. Vesp. cap. IV.* hanc distinctionem clare docet: *legatus legionis*, inquit, *in Germaniam missus est: in Britanniam*, manens *legatus legionis*, *translatus tricies cum hoste conflixit: insulam Vectem in deditionem redegit: partim Auli Plautii consularis legati; partim Claudii ipsius ductu.* PLINIUS *lib. VI. ep. 31: Maritus legato consulari; ille cesari scripserat; & lib. VII. ep. 31: præerat ale militari. Ego iussus à legato consulari rationem alarum & cohortium excutere.* TACITUS *in Agricola cap. VII: legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa, legio, erat. Nec legatus prætorius ad cohibendum potens, incertum suo, an militum ingenio.*

C A P. X.

DE PROCVRATORIBVS CÆSARIS.

§. I.

QVI in libera republica vocabantur *quæstores* prouinciarum, in prouinciis cæsarum postmodum dicti sunt *procuratores*, & *procuratores cæsarum*, quorum munus erat, reditus colligere & in fiscum principis inferre.

§. II.

In minoribus etiam prouinciis, quæ sumtum legati proconsularis non videbantur ferre posse; iurisdictione quoque procuratori simul committebatur, q) cuius rei exemplum in Pilato habemus apud TACITVM *lib. XV. cap. 44. §. 4. Auëtor*, inquit, *nominis*, christianorum, *Christus*, qui, *Tiberio imperante*, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat. Vnde in legibus Romanis distinguitur inter procuratorem, qui vice præsidis

P 3

fun-

q) In prouincias etiam *procuratores* mittebantur; de quibus sciendum est, eos quidem merum imperium proprie non habuisse, sed fisci curam gessisse; nihilominus nonnunquam factum fuisse, vt etiam præsidum munere fungerentur, retento *procuratorum* nomine, id quod in minoribus potissimum prouinciis fieri solebat. Eiusmodi procuratores Iudæa semper habuit, qui etiam ob præsidialem, qua fruebantur, potestatem, *ἐπιτροποι* adpellati sunt. De his procuratoribus, præsidis potestatem habentibus, vide CORNELIVM VAN BYNCKERSHOECK *obs. iur. p. 189. seq. IVST. LIPSIVM excurs. in Tacit. p. 202. seq. IAC. CUIACIVM obs. iur. lib. XIX. cap. 13. SAL. DEYLINGIVM obs. sacr. part. II. obs. 34. p. 435. CLAVD. SALMASIVM not. ad Spartian. vit. Adrian. cap. XII. aliosque multos.*

fungitur, & qui non fungitur: vid. *cod. leg. II. de penis* & *leg. III. ubi caussa fiscalis.*

§. III.

Posteriori ævo procuratores hi *rationales* dicebantur a rationibus pecuniarum, cuius rei exemplum habemus apud *EVTROPIVM lib. IX. cap. 9.*

CAP. XI.

DE QUÆSTORIBVS PRINCIPIS,
SIVE CÆSARIS. r)

QUAMQVAM cæsares in prouinciis suis nullos habebant quæstores; sed qui eo munere fungebantur, vel *procuratores* dicebant, vel *rationales*; tamen in vrbe & palatio erant etiam, qui dicebantur *quæstores principis* siue *cæsaris*, item *candidati principis*: conf. *leg. digest. de officio quæst. ubi munus illorum describitur, libris principalibus, in senatu legendis, vacare.* Exempla apud *TACITVM* sunt *lib. XVI. cap. 27: oratio principis per quæstorem eius audita est.* Et apud *SVETONIVM vit. Aug. cap. LXV: libello per quæstorem recitato notum senatui fecit.* Et *vit. Neron. cap. XV: orationes, ad senatum missas, præterito quæstoris officio, per consulem plerumque recitabat.* Adde *PLINIVM lib. VII. ep. 16. ubi plurium quæstorum huius generis fit mentio, quem ex iam dictis intelliges.*

CAP.

r) De his iam supra quedam memorauî.

CAP. XII.

DE PRÆFECTO CLASSIS
VTRIVSQUE, s)

AUGVSTVS cæsar, vt Italiae prospiceret securitati, duas classes maribus perpetuas imposuit, quarum altera supero, siue Adriatico mari excubaret, cuius sedes erat portus Rauennensis: altera infero mari, seu Tyrrheno, cuius sedes esset circa Misenam, Campaniæ oppidum. Hinc duo præfecti etiam constituti: alter classis Rauennatis, alter Misenenensis, t) quo munere Plinius

P 4

ma-

- s) Ante Augustum sub libera republica iam exstiterunt, qui classibus præessent. Anno enim vrbis CCCCXCIII. Cornelius Scipio classi, contra Carthaginienses mittendæ, præfectus fuit, atque, vt LIVIVS *lib. XXVI. cap. 42.* testatur, idem munus C. Lælius, qui sub P. Scipionis auspiciis militabat, administravit. Pompeius, cui a fenatu populoque cuncta maria commissa sunt, primus esse videtur, qui nomen hoc præ cæteris sibi vindicauit.
- t) In locis his classes istæ duæ ea de causa constitutæ sunt, ne longius ab vrbe abessent, & vbi necessitas postulabat, sine mora ad omnes fere mundi partes peruenire possent. Misenatum enim classis Galliam, Hispanias, Mauritaniam, Africam, Asiam, Ægyptum, Sardiniam atque Siciliam in proximo habebat; classis contra Rauennatum ita collocata fuit, vt Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum sine multis ambagibus petere posset. Refert hæc VEGETIVS *lib. IV. cap. 32.* & quando eodem loco tradit, apud Misenam & Rauennam singulas legiones cum classibus stetisse, id pro more sui æui dicit, quum non legiones, sed duntaxat cohortes, eæque decem fuerunt, quæ tribunos & centuriones suos haberent. Ad classes has

rite

maior fungebatur, quum Vesuuii exhalationibus suffocaretur, vt fororis filius *lib. VI. ep. 16.* adnotauit.

rite disponendas ac collocandas, *stationes* ac *portus* constituebantur, additis turribus & lucernis, tempore nocturno accensis. De illis *DIO CASSIVS lib. XLVIII. p. 388.* loquitur, quando, *in hoc lacu*, inquit, *ambobus aliis interiecto*, cuius aditus angusti tunc erant, id *interstitium*, quo *Lucrinus* a mari dirimitur, utrimque propter ipsam continentem, perfodit effecitque portus nauium stationi aptissimos. De his, siue de turribus *PLINIVM* testem habemus, qui *lib. XXXVI. cap. 12.* scribit: *usus phari*, nocturno nauium cursui ignes ostendere, ad pronuntianda vada portusue introitum, sicuti compluribus iam locis flagrant, vt *Puteolis & Rauennæ*. De *Misenatium* classe & *VIRGILIUS lib. VI. Æneid. v. 233.* canit:

Imponit suaque arma viro remumque tubamque.

Classis hæc, pariter ac altera *Rauennatium*, *prætoria* dicta est a veteribus, non quod prætor iis præfectus fuerit, sed quoniam ad tutelam principis totiusque Italiæ ab Augusto vtraque instructa erat. Ab his duabus classibus maioribus distinctæ erant duæ minores, quarum altera in Gallia & quidem portu *Foroiuliensi*, ad tuendam Galliam & finitimam Hispaniæ oram, ab Augusto, vt *TACITVS lib. IV. annal. cap. 5. §. 1.* tradit, instituta; altera vero, teste eodem scriptore, *lib. III. hist. cap. 47.* in *Ponto* collocata fuit. *SVETONIVS vit. Vespasian. cap. VIII.* classis *Ostiensis* quidem meminit; ea vero non singularis classis, sed pars *Misenensis* fuisse videtur. Præter quatuor has classes, quæ in mari fuerunt, Romanos etiam tres alias, primam in *Rheno*, secundam in *Danubio*, tertiam in *Euphrate* habuisse; *IYST. LIPSIVS de magnit. Rom. lib. I. cap. 5. p. 682. seq.* ostendit, vbi ea, quæ hic breuiter de Romanorum classibus tradidi, fuse enarrantur, cui *IO. SCHEFFERVVM de milit. naual. lib. III. cap. 7.* adiungas.

SECT. II. de magistrat. nouis sub cæsar. 233

tauit. *Erat, inquit, Miseni classemque imperio præsens regebat. SVETONIVS vit. Aug. cap. XLIX: classem Miseni & alteram Rauennæ ad tutelam superi & inferi maris collocauit. TACITVS viriusque sæpe mentionem fecit lib. II. hist. cap. 100. §. 5: Lucilius Bassus Rauennati simul & Misenensi classibus a Vitellio præpositus; lib. III. cap. 50: classici Ravennates; idem anal. lib. XIV. cap. 3. §. 4: Anicetus classis apud Misenum præfectus; & lib. XV. cap. 51: primores classiariorum Misenensium.*

SECT. III.

DE MAGISTRATIBVS POSTERIORIS ÆVI.

§. I.

MVTANTVR magistratus cum tempore, & alia cum nomina tum officia sortiuntur. Tercio christianorum seculo, qui supremæ iurisdictioni in aula cæsaris præerat, dictus est *magister scriniorum*, u) qui ferme erat, qui nostri temporis

P 5

can-

u) Cæsares quatuor habuerunt scrinia, in quibus acta, ad ius pertinentia, reponebantur, *epistolarum* videlicet, *memoriae*, *libellorum* & *dispositionum*. His singulis præerant singuli magistri; is autem, qui *magister scriniorum* vocabatur, supremam super omnia scrinia habebat curam. Incertum est, quis imperatorum primus eos instituerit. SPARTIANVS *vit. Æl. Ver. cap. IV.* eorum primam fecit mentionem; qua de re CLAVD. SALMASIVS *not. in Lamprid. vit. Alex. Seueri, cap. XXXI.* IAC. GUTHERIVS *de offic. dom. August. lib. I. cap. 15.* GVID. PANCIROLLVS *comm. ad notit. dignit.*